ROSARIVM

SEV

POEMA DE MYSTERIIS ROSARII B.V.

DIE ANNIVERSARIO ANNVNTIATÆ
eiusdem Virginis publicè recitatum

A IOANNE DE RVDNIKI BISKVPSKI
Sodali Parthenio eloquentiæ Studioso Calissii
in Collegio Karnkouiano Soc. IESV.

AD PARTHENIANOS SODALES
ILLVSTRISSIMÆ CONGREGATIONIS
B. M. V. ANNVNTIATÆ.

Additus ad finem Poematis Hymnus in laudem eiusdem Virginis
& Ode Allegorica de casti pudoris custodia ad eosdem.

CALISSII,
Typis Alberti Gedelii Anno D: 1615.



PARTHENIANIS

SODALIBVS ILLVSTRIS: CONGREGATIONIS ANNVNTIATÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Ioannes de Rudniki Biskupski Parthenius Sodalis S.

QVas in Horto concluſo fragrantes Roſas deſringere, & ex quibus Virgini Sanctiſsimæ, Deiparæ, Dominæ ac Patronæ veſtræ Clementiſsimæ Serta Myſtica pangere, ac offerre conſueuiſtis, eas nunc ego in vnum collectas, & verſu tenui depictas vobis affero Sodales. Scio quam grato animo has amœniſsimas corollas de veſtris manibus recipiat Domina: idcirco non dubito vos á me eaſdem pari voluntate recepturos. Ac quemadmodum illas in huius Arcani Serti ſuaueolentibus floribus, omnium myſteriorum, gratiarum, ac donorum cæleſtium, laborum denique exantlatorum breue ſed iucundum videt Compendium: ita vos earum laudum, quibus hanc Virginem diuiniſsimam quot diebus celebrare ſoletis poetica delectabit adumbratio. Valete.

ROSARIVM
SEV
POEMA DE MYSTERIIS ROSARII B. V.

PArthenii cœtus insigne (Rosaria dicunt)
Ter quinas cantabo rosas, mirabile sertum,
Quod triplici gyro fulgentia tempora cingit
Magnæ cœlorum Dominæ, Matrique Tonantis.
Diua faue: vos ô fallacia numina veris
Cedite Pierides iubeo, tu sola canenti
Adsis ô Virgo: & quibus hi nascantur in hortis
Eximii flores, qua sint ex arbore lecti
Quæ carpsere manus: quæ dextra coegit in orbes,
Quæ triplicem triplici connexuit ordine circlum:
Quisue tuam, memora, trino diademate frontem
Induit, emeritosque foris signauit honores,
Tantarum includens sertis compendia rerum.
Incipe; Castalios tibi fas recludere fontes
Pieriisque tuum lymphis aspergere vatem.
Bis denos quintumque super numerauerat ortum
Cynthius auricomo cum fulget vellere Mensis,
Optatamque refert terris, ex ordine lucem,
Qua Deus, ille Deus mortales corporis artus — Annũtiatio 25. Martii.
Induit, & castæ subiit penetralia Matris
Vitalesque auras hausit puer, vt genus atris

Humanum eriperet tenebris, stygiumque Tyrannum
Deprimeret, manesque pios inferret Olympo.
Tunc ego Parthenicos dum forte expecto Sodales,
Vt lucis pariter festæ instauremus honorem,
Lumina depictis nequicquam pasco figuris
Parietibus fixas relegens ex ordine formas,
Artificumque manus reputans operumque labores.
Vna tamen reliquas inter mihi fulsit imago
Ostentans patulos super alto vimine flores,
Orbe hoc non visos vnquam, quos plena nouarum
India fert rerum (Granadillos nomine dicunt) Granadillæ
Mirum opus, effictum credas non arte Magistra, descriptio.
Artifice at summo res non indigna Tonante.
Arbor erat truncum attollens sublimis in auras
Pampineæ similis; sic sursum fronde resultat,
Sic sese toties nodos contorquet in arctos.
Serpit humi, si non validis fulcitur ab vlmis:
Vertice procero, sed postquam surgit in altum
Hinc illincque comas, & brachia pandit opaca
Palmitis in speciem: sed acutis frondibus horret,
Cuspidis oblongo referens mucrone figuram.
Hastam dixisset propior qui cerneret herbam:
Quod color & formæ non dispar monstrat imago.
Instar at inde rosę flos prominet aureus, ipsam
Si roseam spectes molem; nam cętera dispar:
Effigies rigidæ medium tenet alta columnæ;

At super

At ſuper hanc claui molles, & ſpinea ſerta?
Admiror, ſtupeo; nam paſsi inſignia Chriſti
Viſa referre mihi floris vernantis imago.
Tunc vero tacitus mecum; ô pulcherime florum
Floſcule, quos gremio ſiue aureus educat hortus
Heſperidum, ſeu quos felicia Teſſala Tempe.
O natura parens imitatrix ſedula veri,
Siccine in exiguis miracula maxima claudis
Floribus? in rebuſne tibi fas ludere tantis?
Vos ne etiam flores viduati mente refertis
Inſtrumenta feram Chriſto patientia mortem?
O melius memores quàm quorum crimine diram
Pertulit ille necem, & vitam cum ſanguine fudit.
Hæc ego dum tacito mecum ſub pectore voluo,
Ecce autem inſperata mihi vox percutit aures:
Quiſquis es ô iuuenis vanos depone timores,
Huc oculos, huc flecte acies, huc dirige mentem;
Et ſi te picti mouet admiratio floris
Hoc potius perluſtra oculis & perlege circum.
Dixerat: Obſtupui geliduſque per ima cucurrit
Oſſa tremor, riguere comæ, vox faucibus hęſit,
Excuſſuſque manu fundenda ad vota libellus.
Subſiſto atque oculos partes conuerto per omnes,
Ecce ferebantur, iuuenum quos ſeruat Olympus
Aligerûm binæ medio ſuper aere turmæ,
Tam variæ pennis, quam verſicoloribus alis,

Auricomi radiant crines, ligat aurea vestis
Multiplici concha, splendent variata Pyropis
Brachia, sydereo clarescunt lumine vultus;
Olli purpureas manibus, niueasque coronas
Aurea gestabant tum serta (Rosaria vulgo
Dicimus) atque alacres oculis, vultuque fauebant.
Hoc viso emotæ curæ, pulsusque parumper
Corde metus, meliorque animo sententia sedit.
Ordior: ô quam te memorem pulcherrima visu,
Fare, acies; neque enim vultus mortalia spirant
Lumina, nec pendens humeris cœlestis amictus.
Quid sibi serta volunt rosea? aut cui dona paratis?
Tum rutilus cœli alipotens, cui lactea fandi
Copia, diuinique fluunt de pectore rores.
Ante alias superûm turmas pulcherrimus vnus
Adstitit, & rosea fulgens ceruice rogantem
Talibus astatur dictis. Iuuenum optime, cœli
Cui sese tot dona, tot explicuêre merenti
Diuitiæ, & magni secreta arcana Tonantis,
Parthenii hæc (inquam) texebant serta Sodales,
Vestrum opus hoc, vestris hic flos enascitur oris;
Hęc Matris magnæ quoties celebratis honores,
Et tacita intenti vobiscum mente putatis,
Seu quos Virgineo sensit sub pectore dulces
Lætitiæ motus, & castæ gaudia Matris:
Seu curas tristes exantlatosque labores.

Sanguine

Sanguineosque olim lachrymarum fluminis imbres
Quos fudit nati crudelia funera spectans;
Seu quæ promeruit fœlici prǫmia cœlo,
Vna Deo similis, suprema sede coruscans
Cœlorum Regina potens Terræque Marisq;.
Hęc inquam, quoties percurritis ordine certo,
Alta hominisque Dei & magnæ mysteria Matris,
Nectitis hæc toties sacro pro vertice serta:
Aligeri posthæc mundi melioris alumni
Dona illi hæc portant, sed vobis plura reportant.
Dixerat, & fulgens cœli conuexa petiuit,
Me nouitate rei stupefactum corripit horror,
Illinc dum specto rutilantes lumine turmas
Alituum; hinc nitido fulgentia lumine serta.
Nunc age Pieriis quæ nunquam visa sub antris
Musarumue choris celebrata, aut cognita Phœbo
Expediam. Vos secretos per deuia colles
Astricolæ, cœli miris exercitus alis
Cernere quos merui, vos ô monstrate recessus.
Sit mihi fas arcana loqui, sit numine vestro
Res visas, hominum passim vulgare per aures;
Si vos sancta iuuat magni reuerentia Christi,
Virgineus si tangit honos, vestræque potestas
Reginæ: monstrate modum quo mystica sacri
Pro merito triplicis narrem mysteria serti.
Vidi compositum ternis diadema coronis

In triplici

In triplici quod erat distinctum parte, metallis
Triplicibus, magnam spectantia munera Matrem.
Hęc quæ diuinos propior contingere crines
Ima videbatur niueis argentea crustis
Vincebat nitido rutilos candore lapillos.
Electro similis fuluo radiabat ab auro
Quæ suprema fuit, similem deflexa per orbem.
Tertia purpureo perquam vicina colori
Sanguineo flores veluti conspersa cruore.
Tres numero, quinis sed textæ floribus omnes:
Quin etiam quot flos foliis ridebat amænis,
Tot Matris Natique Dei simulachra gerebat:
Quot bona patrarunt mundo, quot acerba tulerunt,
Quæue vtrosque manet rutilanti gloria cœlo.
Principio fuerat quæ argento texta corona — I. Pars Rosarii Gaudiosa.
Floribus ex quinis radiabat rite reuinctis.
Flos prior hęc pictis tenuit monumenta figuris.
Omnipotens hominum rector, cœlique dynasta — Annuntiatio.
In solio residens claris lucente Smaragdis
Cogebat cœli proceres, sanctumque Senatum;
Hic illi Pietas collo suspensa pependit,
Ardenti incendens diuinum pectus amore:
Olim quo casus hominum miseratus acerbos
Amplius haud sineret tristi succumbere letho,
Tartareasque domos obscuraque regna subire.
Hic quoque stat volucris stellata in veste minister

Nazareæ

Nazareæ diuina ferens mandata puellæ,
Paciferęque manu ramum prætendit oliuæ,
Insignis facie, insignis fulgentibus alis.
Pone adstat virgo Numen paritura verendum
Cœlitibus, miseris speratáque gaudia terris:
Visa mihi pectus magno correpta pauore,
Suspirans, lachrymisque sinus conspergere obortis;
Sed tamen illachrymans prętendere gaudia mille.
Parte alia Patris Natique reciprocus Ardor,
Spiritus ille Deus, cui cum genitore Tonante
Æqualique sibi Nato, vna eademque potestas;
Diuino implebat castissima viscera partu.
Flosculus hic tales referebat imagine formas:
Alterius fuerat species pulcherrima floris;
Vt primum alloquio volucris suspensa ministri
Hæreret virgo, Numenque in vota vocaret;
Multa Deum obtestans sua qui bene cæpta secundet,
Et tanta faciat dignam se prole parentem.
Hæc folium floris fuerant expressa per vnum.
Ast alio folio montes contendere in altos Visitatio.
Haud mora festinans seniori iuncta marito
Virgo videbatur, tenui circumdata cultu,
Viseret vt longâ confectam ætate propinquam,
Prole grauem (mirum dictu) iam segnibus annis:
Protinus affari vultu longœua verendo,
Virginis atque nouas visa est haurire loquelas:

Parte alia senior, nullus cui vocis ademptæ
Vsus erat, qui Pontificis fulgebat honore
Solo quo poterat, demonstrans gaudia nutu.
Quin etiam fessus tardusque senilibus annis
Virginis eximiæ custos adstabat Ioseph.
Sic hilares vultu dare visi ac reddere voces.
Tertius ante alios flores pulcherrimus omnes
Flos fuit, in cuius foliis cunabula Christi Natiuitas.
Corpore in humano flentis depicta videbam;
Stat specus haud ingens modicæ sub mænibus vrbis
Aspera, at hospitio nascentem digna Tonantem
Excipere, & cœli vastis æquanda theatris.
Hic puerum genitrix inuoluit paupere amictu;
Hic flenti humidulos lachrymis exsiccat ocellos;
Dum iumenta fouent, hinc bos, hinc segnis asellus;
Porro grandæuus submisso poplite coniux
Hæret humi supplex, tantisque ardoribus impar,
Diuinam lacrymis sobolem veneratur obortis.
At vero alituum legio depicta superne,
Orta canit mæstis tandem noua gaudia terris,
Signaque lætitiæ vacuas ludendo per auras
Dat choreis, natum cœli testata Monarcham.
Hic etiam viles iuxta præsepia cunas
Pastores ouium summo gens grata Tonanti
Attonitis stabant similes, cantusque mouebant.
Quartus abhinc sequitur simili flos ordine iunctus

Ad Solymæa, parens in quo castissima, templa
Picta fuit veniens, Magno oblatura parenti
Paupere cum dono gnatum: sancita iubebant
Sic fieri legis sacræ decreta, Patrumque — Purificatio.
Relligio priscis, quæ seruabatur ab annis.
It virgo, vadunt comites longo ordine matres,
Annaque fatidici pridem non inscia sensus,
Longæuusque senex, & cætera turba piorum:
Attonitus iuxta est Simeon tardo obsitus æuo,
Diuinum tremulis puerum qui gestat in vlnis
Olli pertentant tacitum noua gaudia pectus:
Flos fuerat primum concludens vltimus orbem
Nobilis inuento Doctores inter IESV: — Inuentio Christi inter Doctores.
Gaudia Virgineæ referens in imagine mentis
Cernere erat conferta sacri penetralia Templi.
Hic proceres primi, hic iuuenes, iuuenumq; Magistri;
Hos inter residet medius puerilibus annis
Nil mortale sonans verbis (mirabile dictu)
Diuinus puer exponens oracula vatum;
Conticuêre omnes intentique ora tenebant,
Hic quoque picta parens custosq; parentis Ioseph
Virginis, inuento mulcent quam gaudia nato.
Tali prima fuit formâ depicta corona — 2. pars rosæ dolorosa.
His inscripta notis: Diuinæ gaudia Matris.
Hanc super ex quinis surgebat texta Rosarum
Floribus, adiunctum est cui lemma: Corona Dolorum.

Nec fruſtra: ſiquidem flores quoſcunque notaram,
Quiſque fuit mæſti inſignitus imagine luctus,
Deſignans ſpecimen Chriſti lachrymabile paſsi.
Ipſi quin etiam viſi ſunt fluminis inſtar
Vndique ſanguineum flores ſtillare cruorem. Oratio in horto
Primus ſudantem referebat ſanguine Chriſtum,
Quando iterum, atq; iterum Genitorem affatus in horto
In cœlum ſupplex palmas cum voce tetendit.
Multa Deum rogitans: toto tunc corpore ſudor
Sanguineus fluit, & crebris abit vndique riuis.
Hic ſe ſe oſtentat delapſus ab arce miniſter
Syderea in tantis portans ſolatia rerum
Fluctibus; haud procul hinc tres lecti ex ordine toto,
In gelidi comites decumbunt margine ſaxi,
Illos accedens Chriſtus ſatis eſſe ſopori
Indultum monet, oſtendens inimicaque ſigna,
Hoſtileſq; acies ductore furentia Iuda?
Flos medius Chriſti ſpirabat imagine vultum
Oſcula poſcentis non dedignantis Iudæ.
Stat propior Chriſto Solymorum peſsima turba
Ore fremens: vbi viſa etiam prenſare nefandis
Innocuum dextris, ac ſtupea vincula collo
Iniicere, & vinctum Solymeam ducere in vrbem.
Floris in alterius folio radiante videbam Flagellatio.
Mundi aſſertorem nudatum corpore toto,
Vinctum ad marmoream nodoſo fune columnam.
Hinc

Hinc atque hinc aſtant crudelem, fronte minantes
Tortores rabiem, loris armata cruentis
Sæua cohors, duro virgarumque horrida faſce.
It cruor, & plenis toto de corpore riuis
Defluit in terram, natat atro ſanguine tellus.
Nil niſi plaga, tumor, cunctos liuorq; per artus
Apparent, vnà crebeſcunt vulnera & ictus.
Gaudent crudeles dura ad ſpectacula turbæ.
Pone ſequebatur, pariter flos totus inundãs Coronatio
Sanguine. Spectabam regali ſede locatum
Conſciſſum plagis Chriſtum (miſerabile viſu)
Hic humeros attrita chlamys, nota regia amicit:
Vepribus è duris hic tempora nexa corona
(Ludibrium crudele) forat, terebratque cruentis
Sentibus ad viuum iam ſpina exacta cerebum.
Subſannat truculenta cohors, regemq; ſalutat
Poplite per riſum flexo, trucibuſque cachinnis
Verbera permiſcens, ſacra tempora arundine pulſat.
At quartâ effigie quartoque in flore per vrbem Baiulatio
Ibat, languentes humeros oneratus IESVS crucis.
Stipite: tanto impar quoties cadit ille labori?
Genua labant, feſſos quatit æger anhelitus artus,
Trux tamen impellit tortor ſponte ire volentem,
Pergere nec verbis tantum, ſed verbere cogit.
Siſtite crudeles aut in partem ite laboris.
It comes hinc Romana cohors, bini inde trahuntur
Furci-

Furciferi dignis luituri crimina poenis,
Prô scelus indignum, faciesque miserrima rerum,
Quid sibi deinde volunt reliquorum turba sequentum?
Matronæ lachrymis manantibus ora madentes
Quid fletis? lachrymis heu parcite, parcite: dixit,
Illos vt vidit retro conuersus IESVS.
Hæc quarto rerum series in flore rubebat.
Vt quintum aspexi mentemque oculosq; reflexi.
Ergo iterum rerum facies tristissima surgit? Crucifixio.
Tune DEVS? dixi, tune ille es rector Olympi,
Illa Dei soboles superumq; hominumq; Monarcha
Extrema expertus? tristine videbere ligno
Fixus adhuc? satis est, satis hos subiisse labores
Hactenus: ah quo pergis adhuc? quin tristia lethi
Funera declinas potius, mortemq; nefandam.
Vidi, vidi equidem crudeli cuspide pectus
Traiectum, fossas clauis palmasque pedesq;
Humentesque genas, perfusaq; tempora tabo,
Squallentem & barbam, turpatum & sanguine crinem.
Hic etiam effigies picta est mœrentis Olympi.
Sol prior informi tristem ferrugine frontem
Indutus: pallet nigranti Cynthia vultu,
Auratum flauo discerpens vertice crinem.
Terra tremit, tristi pelagus mugire boatu,
Et nutare suo succussæ vertice turres,
Omnia visa mihi sentire elementa dolorem

Et fremitu

Et fremitu & tenebris tantum testantia luctum.
Scilicet hæc roseus referebat flosculus acta
Vltima purpureæ pars atque extrema coronæ.
Tertia flammiuomo circum radiabat ab auro — 3. pars Rosarii gloriosi
Vndique multiiugis ornata corona figuris,
Quinis circumducta rosis, gemmisq; decora. — Resurrectio.
Victorem illęso monumenti pæne sigillo
Flos prior expressit redeuntem Acherontis ab vmbris.
Hic effracta feri vidisses claustra Tyranni,
Tartarea Eumenidumq; acies, atque omnia nigræ
Monstra Stygis fugere, atq; atri Phlegetontis in vlua,
Gorgoneos propere certatim abscondere vultus.
Hic rursum casti manes captiua sub antris
Tartareis patrum legio gens debita cœlo,
Lętitia exultant palmasque ad sydera tollunt.
Nec satiare queunt oculos, mentemq; tuendo
Vltoris vultus hilares, mortalia quondam
Humanum in morem, nunc immortalia membra.
Tum lęti obscuro pariter se carcere promunt,
Ductoremque suum supera ad conuexa sequuntur,
Fælices animæ gens iam defuncta periclis.
Hæc flore in medio radians iaculatur imago.
At vero in foliis alias res ordine gestas
Flos habet, vt variis varios indutus amictus
Apparet viuens, blandisque iacentia verbis
Corda leuat, mæstisque animis iucunda ministrat

Gaudia,

Gaudia, mærorem\'que fugat tristesque dolores.
Parte hac mærentem admisso de crimine Petrum
Flere vetat, culpæq; piacula tristia soluit.
Hic vero ad tumulum mæstissima Magdalene
Amissi desiderio confixa magistri,
Par videt Aligerûm, & sumptâ sub imagine tectum
Ignoti agricolæ rediuiuum cernit IESVM,
Alloquitur, stupet. At vero mox farier orsum
Immemor ipsa sui agnoscit, radiisque coruscum
Vidit & ingemuit, gemitum\'que è pectore abegit,
Et mœstum aspectu dulci saturauit amorem.
Parte aliâ sociis, quos in diuersa pauentes,
Iamdudum terror longe disiecerat omnes,
Tandem sera illis sub luce in tecta coactis
Ingrediens sese monstrat manifestius Heros,
Diuinum toto iaciens de corpore lumen,
Vulneraque ostendit, Thomam & contingere iussit
Et lateris plagam, & plagam manuumq; pedumq;.
Hic ternas blanda Matres cum voce salutat.
Veste peregrina hic Cleophæ socioque viator
It comes, & frangens cerealia liba, patescit.
Tu tamen ante alias mira arte expressa figuras
Qua mæstæ rediuiuus adest, tristique Parenti
Filius hic victor mundique Erebique Neciśq;
Qualibus ô radiis fulges (sol aureus ipse,
Huic esset flori si intextus ab arte magistra

Maiores

Maiores equidem nequaquam emitteret ignes,
Stabat purpureo vestitus lumine Natus
Ore habituque Deum confessus imagine nota.
Stabat & ipsa parens virgo radiisque coruscum
Amplexans placidè natum: satis ora tueri
Clara nequit, corpusque oculis obit omne volutis.
Lætitiæ attonitam superant noua gaudia mentem.
Vertice virgineo deinceps aurata secundo
Flore tiara micat. Facies gratissima cœli
Hic primum visa est, dum sese effundere portis
Sydereis properant ciues bipatentis Olympi,
Aligerûm genus ætherea de stirpe profectum.
Vt liquidas cœli pendet diffusa per auras Ascensio.
Hic acies atque hic acies! paribus pars remigat alis,
Nuncque huc, nunc illuc; vltro citroque feruntur,
Pars pictis sese librant super aera pennis,
Pompa triumphanti similis, mox deinde triumphus,
Victoris Christi cæli suprema petentis.
Infernè dilecta cohors suspiria mæsto
Corde trahens, querulas promit de pectore voces,
Tollentemq; manus, cœliq; serena secantem
Suspicit, alituumque choros, sanctumq; triumphum,
Et toties Dominum inclamat, totiesque magistrum.
Tertius hinc sequitur nitido flos fulgidus auro
Sacra duodenæ residebat turba cohortis,

Lecta manus Christo, mediam dignissima sedem
Virgo tenet, tacito sub corde futura volutans.
Idem animus cunctis; attollunt lumina cœlo,
Atque hominem velut exuti, moribundaque membra
Mente per astra volant taciti. Sic deinde seorsum
Cuilibet illorum supereminet ignea lingua.
Quin etiam niueis argentea visa columba
Nixa alis se se vacuas librare per auras,
Perque vices procerum considere vertice summo;
Olli corripiunt cœlestes pectore flammas,
Et varias vario depromunt ore loquelas.

Missio S. Spûs.

Extremo vicinus erat flos aureus alter:
Hic autem medium veluti discindere cœlum,
Visa acies superûm, cursusque ciere frequentes,
Huc atque huc, iuxta cœli conuexa sereni.
Agnoui ecce tuos castissima virgo triumphos
Cum vasti quondam stellata palatia mundi
Læta subintrabas Nato sociata Tonanti.
Hinc atque hinc totum instaurant noua gaudia cœlum;
Indulgent choreis superi, Alituumq; phalanges
Sydereæ, fulget diuersicoloribus æther
Ignibus, emeritosque tibi gratatur honores;
Sceptraque, & imperium Reginam fassus adorat.
O te fælicem tantos o quisquis honores,
Præsens vidisti, aut horum pars magna fuisti.

Assumptio B. V.

Dicam

Dicam equidem, Regina, tui ſimulacra triumphi
Luminibus ſpectans, mortali in corpore mentem
Vix tenui, ſi qua licuiſſet abire parantem
Teque ſequi. Tantum tua me mouere Trophæa.
Et iam ſupremum florem ſpectare parabã Coronatio B. V.
Cum fors ille mihi rurſum prior adſtitit ales.
Huc mentem, huc oculos inquit, monumenta laborum
Hactenus hæc fuerant, fuerant monumenta dolorum.
Iam iam quæ magnæ ſint præmia reſpice Matris,
Vera vides; ſic illa throno vicina Tonantis
Sic dilecta Deo: tali diademate frontem
Inſignis; ſic diues opum, ſic diues & oſtri:
Cæruleus cœli Reginam veſtit amictus;
Sic gemmis dextram nitidis ſplendentia mundi
Sceptra grauant: rutilumq; illud quod conſpicis agmen
Obſeruant Dominæ nutus regnantis Olympo.
Plurima præterea ſunt quæ ſuppreſsit imago
Arſque haud expreſsit, quam non capiebat & ipſe
Flos rerum ſeriem, vel quæ iam gaudia cœlo
Poſsidet, & quo illam natus dignetur honore:
Sed neque tu caperes, mea nec tibi lingua referret,
Nec quiſquam Aligerûm ſimili de ſtirpe creatus
Is quicunque foret tandem: muteſcere lingua
Hic ſolet; hæc animis nos ipſi oculiſque ſtupemus.
Dixerat; & rurſum paribus ſe ſuſtulit alis,
Abſtulit & roſeæ ſpectacula ſacra Coronæ.

HYMNVS

IN QVO SODALES VIRGINI ANNVNTIATÆ LAVDES CONCINVNT.

I.

VIrgini laudes venimus
Redditurі maximæ:
Qua die missus polorum
Gabriel de sedibus
Inclytæ vilem subiuit
Virginis domunculam;
Et daturam dixit orbi
Partu inaudito Deum
Nesciam thori iugalis
Post, vt ante, virginem.

II.

Virginis festum Sodales
Ducimus læti diem,
Qua parens est nominata
Virgo patris omnium:
Qua parens est virgo facta
Conditoris omnium.
O procul, procul profani
Este sacris laudibus.

Quis quis audis, quisquis adſtas
Cantibus noſtris faue.

III.

Læta cœlis, læta terris
Ordiamur gaudia,
Lęta cœlis, læta terris
Quæ tulere nuntia:
Noſtra tandem conſpicantur
Quæ volebant lumina.
Terra pridem parca FRVCTV
Cum ſuo iam germinat.
Pax ab irato Tonante
Redditur mortalibus;
Ima ſummis copulantur,
Fluxa cum manentibus.

I.

Numen illud, lumen illud
Spiritus ſanctiſsimus,
Illa virtus, Ardor, Ignis
Ille diuiniſsimus,
Cœlitus labens in aluum
Virginis lectiſsimæ,
Mira patrat, mire obumbrat
Virgini caſtiſsimæ;

II.

 Secun-

II.

Pande castam virgo mentem
Præpara virgo sinum;
En polo compar Tonanti
Labitur iam spiritus;
En solo compar vtrisque
Labitur iam Filius.
Pande castam virgo mentem
Præpara virgo sinum.

III.

Quid times virgo beata?
Quid trahis moras adhuc?
Redde responsum Tonanti
Alitique nuntio.
Dixit, ô sum præsto, dixit,
Serua Magni numinis;
Iam mihi fiat quod inquis,
Nil moror quod vult Deus.
Mira dicam, vera dicam
Fit DEVS VERBVM CARO.

I.

Hęc fuere facta quondam
Hac die mysteria,
Orta cœlis, orta terris
Vnde sunt hæc gaudia.
Plura Reginæ canamus
Si placet præconia.

II.

Eia Numen, Eia Nomen
Personemus virginis,
Aureum cuius coronant
Astra bis sex verticem:
Quam serena lux amicit
Sole puro clarior.

III.

Eia Numen, Eia Nomen
Personemus virginis:
Quæ premit lunam micantem
Sub pedum vestigiis.
Orbe nunc toto rotundam,
Nunc acutam cornibus.

I.

Ferte cantus, ferte plausus,
Insonate laudibus.
Nuntiate quam potente,
Sit per orbem dextera:

II.

Ferte cantus, ferte plausus,
Insonate laudibus,
Nunciate quam nitente
Luce vincat sydera:
Ferte laudes, ferte grates,
Insonate cantibus:

Nuntiate

Nuntiate quam benigna
Fert opem rogantibus.
I.
Quicquid est, huius peractum est
Virginis potentia.
II.
Quicquid est, huius peractum est
Virginis clementia.
III.
Qua volente, qua iubente
Cuncta cedunt tristia.
I.
Qua fouente, qua fauente
Poßidentur gaudia.
II.
Non recedit, non relinquit
Destitutos supplices,
Hæc quibus munitionis
Instar est tutißimæ.
III.
Magna quem Mater iuuat ô beatum!
I.
Hæc meæ certus clypeus salutis,
Hæc erit Numen mihi sospitale,
Hæc procellosa rate turbulentis
Anchora rebus.

DE CASTI PVDORIS CVSTODIA
Ode Allegorica.

Stroph. Æquora quiſquis, naufraga Ponti
Viduus remis, viduus velis,
Fidens fragili verberat alno,
Vitam is leuibus credidit auris,
Non redituri prodigus æui.

Antis. Stultus an audax? audiet ille,
Quiſquis denſas, vidit vt acies
Equitum turmas, peditumq́; globos,
Robore nullo, milite nullo,
Tendit in hoſtes, vnus in omnes.

Epod Caſti decus pudoris,
Quiſquis tueri geſtit,
Fida carens virtutum,
Cœleſtium corona:
Quod Hercules non auſit
Stat mille contra ſolus.
Mox fluctibus vorandæ
Credit rati ſalutem.

Sroph, Tutus vaſti, gurgitis oras,
Saluuſque legit licet extremos
Currat ad Indos: licet Ægęos
Subeat ſcopulos: aut vbi rabidos,

Succincta canes, virgo Pelori
Omnes pariter soluit hiatus;
Tutus hic inquam secat infestum
Fluctibus æquor, quem Palladiâ
Compacta manu, cymba tuetur.
Cui transtra fremunt remige multo,
Plenaque ventos pansa secundos
Carbasa captant: cui religatæ
Medio pendent ligno antennæ;
Notat obuersi sidera cœli,
Gnauus ab alto nauita malo,
Certisque viam digerit astris:
Donec saluas littore merces,
Tutaque ratem sistat arena.

Antis. Sperat meritos, sperat ab hoste
Ille triumphos, quisquis lecto
Milite cinctus,
Ipse egregiis fulget in armis:
Illi pictis tempora cristis,
Cassis obarmat.
Illi animosum munit pectus
Lorica trilix, riget aurato
Vmbone latus, rotat eductum
Furibunda manus fortiter ensem:
Fremit insultans frænaque mandit
Pars prima feræ sonipes pugnæ,

Vbi

Vbi terrificæ ſonuêre tubæ,
Lituique fragor perculit aures,
Victos, victos hic aget hostes
Ruptiſque fugam dabit ordinibus:
Hunc victrices merito lauri,
Hunc ſceptra manent atque triumphi.

Epod. Adiunge Diuo
Castas pudori
Alto vocatas,
Cœlo ſorores.
Pulchris in armis,
Pulchras phalanges;
Mox mox videbis,
Et obstupeſces.
Tunc tunc triumphi.
Trophæa, honores,
Laurique festas
Capies coronas.
Tunc, tunc quieto
Portu carinam,
Saluaſque merces
In expetito
Littore condes.

Stroph. Fortia ſancti castra pudoris
Et militiæ turmas ſacræ
Spectare placet:

Antis. Sacrâ turbâ puppim instructam
Et mihi casti cernere honoris
Vtinam liceat.
Epod. Armes tuam tu,
Licet, carinam.
Armabit ille
Castas cohortes.
Stroph. Forti ductor quod militiæ est,
Hoc sit mihi submissio mentis.
Antis. Ratis hæc nostræ clauum teneat.
Stroph. Sanctus tenera pudor in facie,
Stabilis toto corpore Honestas
Casti frontem teneat agminis.
Antis. Pudor in nostra classe Celeustes;
Grauis antennas seruet Honestas.
Stroph. Martia rapidas tollat in auras
Præstans Diuûm signa Religio.
Antis. Hæc mihi media stabit malus
Velifer alno, cursusque reget.
Stroph. Qui cuncta gerit suspensa Timor,
Hic sollicitas agat excubias.
Antis. Idem excubitor procul à nostris
Arceat omnes, nauibus hostes.
Stroph. Sollers animi sit Prudentia
Optima nostris vigil in castris.
Antis. Obeat nostra rate Prudentia

Quod

Quod munus habet nauita celso
Circumspectans sydera malo.
Stroph. Constans animus fortisque omne
Permeet agmen, solus parere
Doctus claros laude triumphos.
Antis. Constans animus fortisque suo
Robore, pistris deprimet vnca,
Onerosæ instar rostra saburræ:
Stabili vt cursu tuta feratur
Nec ludibrium fiat validis
Naufraga ventis.
Stroph. Cætera doctæ bella sorores,
Statione sua, fortiter armis
Ineant auidæ prælia pugnæ.
Neu parua manus contra hostiles,
Prodeat astus, agmina secum
Sua quemque trahat feruida virtus.
Antis. Reliquæ subeant transtra sorores,
Hæ vela legant, illæ laxent;
Illę validas agitent tonsas,
His prymnesia fortia curæ,
Illis rapido iacienda tenax
Anchora ponto.
Epode Armata belle classis
Recte agmen ordinatum
Tutos tenere portus.

Talis solet carina.
Victoria potiri
Tales solent cohortes.
Quid ergo? cor profunda
Submissione magnum,
Prudentia præcellens,
Constantiâ firmatum,
Modestiâ præclarum,
Pietate singulare,
Nunquam suo Pudori,
Tristes veretur casus,
Tristes timet ruinas.
Quisquis sapis tuere,
Natura quem donauit,
Tantum semel thesaurum.
Redire nescit cum semel periit Pudor.
Stygii pudorem maxime petunt doli.
Reddere pudorem nescit amissum Deus.



Granadilla, cuius descriptio est initio Poematis.